

SALUBERRIMÆ

MONSPELIENSIIUM MEDICORUM

ACADEMIÆ


Benè de se Meritissimæ

SIBIQUE IN ÆTERNUM COLENDÆ

Hoc primum doctrinæ iatricæ specimen gratitudinis ergò.

V. D. C.

FRANCISCUS MOCQUARD Nanctensis, Apud Britannos



QUÆSTIO MEDICA

PRO BACCALAUREATU

MANE DISCITIENDA

In almâ Monspeliensium Medicorum Academia

PRÆSIDE

R. D. JOANNE BEZAC

Professore Regio.

An Paralyfi Aquæ Thermales?



PARALYSIS est simplex sensûs, & motus, aut alterutrus, in parte vivente, & relaxatâ, abolitio, aut imminutio notabilis; per illud verbum in parte vivente, distinguitur ab Apoplexiâ, in qua omnes partes sunt Paralyticæ; nec audiendi sunt illi qui Paralyfim cum sensûs læsione ad solum tactum contrahunt, cum aliquandò visûs, gustûs, olfactûs, & auditûs organa Paralyfi corripiantur, ut videre est in hemiplegiâ. Dixi in parte vivente, ut distinguatur à sphacelo, & relaxatâ ne confundatur cum convulsione.

Cum, ex interrupto sanguinis, vel spirituum influxu, vel utroque contingat Paralysis, non levi fundamento, defectum spirituum, aut sanguinis, aut utrorumque in partibus, tanquam hujus morbi causas suspicamur. Cum autem sanguis partes Paralyticas ut plurimum irroret, ut patet ex earum punctione, non est cur sanguinis defectum accusemus: neque tamen diffitemur arte vel casu posse induci Paralytim à tali causâ.

Deficiunt spiritus, propter obstructionem, compressionem, sectionem, aut nervorum relaxationem.

Obstruuntur nervi plerumque à materiâ quâdam lymphaticâ, comprimuntur ab aliquâ causâ extrinsecus adventante, V. G. glande plumbea, vel interius genitâ, putâ à tumore scirrhuso; secantur ab instrumento acuto, relaxantur à materiâ serosâ.

Sanguis deficit partibus, vel propter compressionem, vel propter alicujus arteriæ notabilis, sectionem. Quoniam autem vix unquam propter talem causam fit Paralysis idèò alto silentio eam prætermissere omnes ferè authores.

Arteriarum truncos, aut ramos majores à quibus capillares ducunt originem vel obstrui, vel relaxari vix imaginari possumus; quod si capillares aliquæ per suos canaliculos sanguinem transmittere non possunt, aliæ suppleant earum vicibus, quod ad nervos transferri non potest.

Observandum pertransennam sanguinem conferre suum solum ad sensum & motum, tanquam conditionem sine quâ non in quantum scilicet, immediatè suâ mole & expansione tribuit tonum partibus, & in quantum suggerit copulam explosivam, quæ suâ pariter mole, & rarefientiâ cum spiritibus tensionem iisdem tribuit observandum pariter spiritus, & copulam explosivam motûs instrumenta esse, spiritus verò sensus, non item copulam explosivam.

Paralysis universalis est illa quæ plures partes afficit, si midia corporis pars Paralytica sit hemiplegia dicitur, si omnes infra caput partes afficiantur tunc Paraplegiæ nomen retinet.

Paralyticos imperfectæ eadem est causa proxima, ac perfectæ, sed remissius agens; causæ remotæ omnium specierum Paralyticos sunt res non naturales. Quod si asseruerimus sensum remanere pereunte motu, neutiquam arbitramur partem individuan, quæ motu donatur, sensu destitui, cum major spirituum quantitas requiratur ad motum, quàm ad sensum; sed contendimus sensum perire in partibus externis ob aliquam causam ex jam assignatis, dum remanet motus in partibus internis, qualem motum sequuntur externæ, perit verò motus remanente sensu si fiat defectus spirituum in partibus internis propter aliquod impedimentum, liberis existentibus canaliculis nerveis externis.

Antiqui causam hemiplegiæ ac paraplegiæ in medullâ spinali constanter constituebant; verum etiamsi hæc relaxata, obstructa, vel compressa paraplegiam producere possit, ut observamus in luxatione vertebrarum colli, interim sæpè sæpius causam paraplegiæ, & hemiplegiæ potissimum medullæ oblongatæ tribuimus, quæ penitus affecta paraplegiam, secundum

verò dimidiam partem hemiplegiam inducit in Paralyfi autem particulari vitium quandoque est in parte ipsâ, vel in nervorum progressu, aut eorum origine; sic videmus Apoplexiam curatam, vel insultus Epilepticos Paralyfim particularem quandoque inducere.

Diagnos. Paralyfis, ejusque species ex suprâ dictis satis innotescunt.

Prognosis. Paralyfis semper est difficilis curationis, præsertim si causa sit in corpore genita; difficile enim est humores obstruentes, aut tumores, aliave comprimentia tollere. Quæ procedit à sectione nervorum incurabilis est: curatu difficillima habetur, quæ à diuturnâ potandi consuetudine, ab assiduo & longò studio, animique contentione oritur: quia præter modum à vino exsiccantur humores, & nimia contentio mentis absument spiritus, sicque sanguinem inspissat. Facilius curatur in juvenibus quàm in senibus, quoniam in his languidiores sunt spiritus, sanguis minus vegetus, viresque debiliores, nec ità facilè admittunt remedia fortiora. Curatur etiàm difficillimè quæ Apoplexiæ, aut alteri affectui capitis succedit, & non rarò fit relapsus in Apoplexiam.

Vulgò creditur Paralyfim quæ solutâ Apoplexiâ primò apparet, fieri semper per metastasim humorum, sed malè; hoc tantùm procedit à majori compressione, relaxatione, aut obstructione, quæ durante Apoplexiâ facta fuerit in illâ cerebri parte à quâ nervi partis Paralyticæ originem ducunt.

Tremor superveniens parti paralyticæ bonum. Arguit enim aliqualem spirituum influxum; calor partis adauctus, vel non insigniter imminutus boni pariter est ominis, indicat enim sanguinis & succi nutritii appulsum; quò magis pars Paralytica marcescit, eò minor curationis spes affulget.

Hemiplegia non adeò funesta est ac paraplegia, quippe majorin illâ quàm in hac conservatur calor.

Paralyfis quæ provenit à luxatione primæ vertebrae, nisi citò illa in suam sedem restituatur læthalis est, compressis nervis respiratori dicatis, vita sufflaminatur. Paralyfis etiam quæ provenit à luxatione alicujus alterius vertebrae mortem minatur, partes enim quarum nervi inde originem ducunt Gangrenam contrahunt, & defraudantur partibus infimæ spiritibus necessariis ad vitæ munia exercenda.

Curatio quantum vis difficilis tentanda est; primò si æger sit juvenis & pletoricus vena secanda, ut sanguis liberius circuletur; nec-non purgantibus & alterantibus remediis facilius & securius morbus oppugnetur, clysteres acres injiciendi; ut irritando & evacuando partes succutiant, humoresque revellant; purgatio quoque valida cum Emericis instituenda est, ut primæ viæ ab humorum saburrâ liberentur, proindeque sanguis minus inquinetur, adde quod stimulando fibras nerveas, per ventriculum & intestina dispersas materies in sanguine superfluas & heterogeneas educant, quas insuper, subeundo vasa, dividere, subigere, simul & resolvere queant. Jam verò præmissis præmittendis competunt remedia quæ sanguinem dissolvunt & insensilem promoveni transpirationem, si constitutio sanguinis sit crassa,

frigida, & humida, si autem sit calida & sicca, parcius adhibenda & cum
humectantibus permiscenda; tandem cum aqua Thermales potæ purgent,
sanguinem agitent & exsiccent, viscidos & crassos humores attenuent, di-
vidant & fundant jure concludo.

ERGO Paralyfi aqua Thermales.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII,

R. D. Franciscus Chieoyneau,
Cancellarius!

R. D. Joannes Chatelain, Decanus.

R. D. Petrus Chirac.

R. D. Petrus Magnol.

R. D. Antonius Deidier.

PROFESSORI REGII,

R. D. Petrus Rideux.

R. D. Antonius Magnol, Patris
Coadjutor.

DOCTORES AGGREGATI.

R. D. Henricus Haguénot. R. D. Joannes-Henricus Haguénot, Patris
Coadjutor.

DOCTORES ORDINARIJ,

Joannes Pelerin.

M. Eustachius Marcot.

M. Antonius Fizes.

Propugnabit in augustissimo Monspeliensis Apollinis fano FRANCISCUS
MOCQUARD Artium Liberalium Magister, & jamdudum Medicinæ
Studiosus, ab horâ octavâ usque ad meridiem, Die mensis Julii 1712.

Ornatissimo paralyseofugæ

D. D. MOCQUARD Baccalaureando.

Orpheus (ut fama est) qui fulmina saxaque terris
Moverat, infernos flexerat usque Deos.

Tu pigros subigis latices, tu saxea membra
Flectis, & ægrôs non finis ire neci.

Ergo Deo hoc, MOCQUARD, quo differs? scilicet illo
Fecerat Hic, medicâ quod facit arte, lyrâ.

Cecinit amicitia causa Franciscus Vincentius Doüard Lavallensis apud Ceno-
manos Art. Mag. & med. stud.

MONSPELII, Apud HONORATUM PEGH Regis Typographum, 1712.